



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 78. Parisinæ Facultatis Theologicæ decretum contra Jesuitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.
A.C. 1554.

no millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto die tertia Augusti hanc sententiam pronuntiavit, vi cuius, priusquam ulterius procederet, fanciebat, quod hujus Instituti Bullæ, necnon illius approbatio unacum Regis diplomate, eoquod hæc causa præcipue Religionem concerneret, Eustachio Belayo Parisiensi Episcopo æque, ac Theologicæ Facultatis Decano committerentur: ambo autem hac super re ad Curiam referrent, ut hæc desuper audiri, mentemque suam aperire valeat.

§. LXXVIII.

Parisiæ Facultatis Theologicæ decretum contra Jesuitas.

Bouhours
l. 5. p. 413.
Orland. hist.
Soc. Jesu
l. 14. n. 51.
l. 15. n. 33.
34. & 45.
Argentre
p. 194.

Pronuntiata hac sententia Episcopus hosce Patres minime esse recipiendos opinabatur, exponens, quod eorum institutum Episcoporum juribus, necnon pactis Pontifices inter, & Galliarum Reges initis adversaretur. Quinimo Facultatis Decanus adhuc ad duriora processit, nec suam sententiam in pleno confesso exposuisse contentus insuper Doctores convenire iussit, ac die prima Decembris sequens decretum promulgari præcepit: *Hæc nova Societas insolitam Nominis Jesu appellationem peculiariter sibi vindicans tam licenter, & sine delictu quaslibet personas quantumlibet facinorosas,*

rosas, illegitimas, & infames admittens, nul-
 lam a sæcularibus sacerdotibus habens dif-
 ferentiam in habitu exteriori, in tonsura, in
 horis Canonicis privatim dicendis, aut pu-
 blice in templo decantandis, in claustris, &
 silentio, in delectu ciborum, & dierum in je-
 juniis, & aliis variis legibus, & cæremoniis,
 quibus Status religionum distinguuntur, &
 conservantur, tam multis, tamque variis pri-
 vilegiis, indultis, & libertatibus donata
 præsertim in administratione Sacramenti
 Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, idque sine dis-
 crimine locorum, aut personarum, in officio
 etiam prædicandi, legendi, docendi in præ-
 judicium Ordinariorum, & hierarchici Or-
 dinis, in præjudicium quoque aliarum reli-
 gionum, imo etiam Principum, & aliorum
 dominorum temporalium contra privilegia
 Universitatum. Denique in magnum populi
 gravamen, religionis monasticæ honestatem
 violare videtur, & studiosum, pium, & ne-
 cessarium virtutum, abstinentiarum, cæremo-
 niarum, & austeritatis enervat exercitium;
 imo occasionem dat libere apostatandi ab a-
 liis religionibus; debitam Ordinariis obedien-
 tiam, & subjectionem subtrahit, dominos
 tam temporales, quam Ecclesiasticos suis ju-
 ribus injuste privat: perturbationem in u-
 traque politia, multas in populo querelas,
 multas lites, dissidia, contentiones, æmulatio-
 nes, rebelliones, variaque Schismatica indu-
 cit, Itaque his omnibus, atque aliis diligen-

Sæcul. XVI.

A.C. 1554.

Sæcul. XVI
A.C. 1554.

ter examinatis & perpensis hæc Societas videtur in negotio fidei periculosa, pacis Ecclesie perturbativa, monasticæ Religionis everfiva, & magis in destructionem, quam in adificationem.

Huic conventui præter alios Doctores præcipue intererant Benedictus de Curcellis, Maillardus de Mouchy, Perionius, Ory hæreticæ pravitatis Inquisitor, necnon Faber Syndicus.

§. LXXIX.

Modestia Ignatii hoc edictum recipientis.

Orland. l. 15.
n. 43.
Bouhours
p. 145.

Postquam hoc edictum, cujus propria retulimus verba, Romam fuerat transmissum, mox per Societatis Præpositum Jesuitis tradebatur, ex quibus una omnes censebant, quod datis ad hoc Doctores literis innocentia esset vindicanda, eisque demonstrandum, quam finistram de societatis instituto foverent opinionem: solus tamen Ignatius huic opinioni adversabatur, putans, quod huic decreto nullum responsum magis expeditum opponi posset, quam prudens silentium: „Occurrentibus quibusdam „caussis, ajebat Ignatius ad suos Patres, „consultius est tacere, quam loqui, & „lamo non opus est ad sui defensionem vel „vindictam, quando ipsamet veritas se „defendit, ac vindicat. Porro quan- „tumcum-